Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1183
Quelle:
Copyright:

ſenti uita fuerunt, non habuiſſe aliquid in proprio, nec etiam in communi. Norunt Eruditi, Errorem hunc ſub exitum Sec. XIII. in Ordine Minorum turbas dediſſe indiſcreto quorundam altiſſimae Perfectionis ſtudio, quos inter *Petrus Joh. Olivi*, et *Hubertinus de Caſali* eminebant, ut legere eſt tam in *Odor. Raynaldi Annal. Eccl.* T. XV. quam in *Waddingi Annal. O. M.* T. II. fuiſſe vero in ipſo Minorum Ordine, qui contra irent, ut vel e Documentis liquet, quae *Baluzius L. I. Miſcellaneor.* pp. 195 — 528. exhibet. At vero Autorem noſtrum et turbis jam utcunque ſopitis calamum ſtrinxiſſe ſuperius Adlata docent, et Ordinis Membrum non fuiſſe ſuadet modus, quo per decurſum de Ordine tanquam non ſuo loquitur; ait enim v. g. *Ordo itaque ſiue Collegium fratrum minorum aut indiget rebus eis donatis propter deum et oblatis, aut non. Si indiget, ſicut non poteſt uitare ſiue abdicare ipſam indigentiam et neceſſitatem, quam patitur, que eſt ratio utendi, ita non poteſt renunciare ſiue abdicare ius et poteſtatem utendi bonis predictis. Si uero non indiget, tunc cum non competat eis ius utendi predictis bonis eo, quod ius tale nil eſt aliud niſi indigentia ipſa et neceſſitas, ut ſupra dictum eſt, ſi tali iuri collegium ſiue ordo fratrum minorum renunciauit in communi, renunciauit utique iuri, quod non habet, ſeu quod non competit ſibi in bonis predictis. Et ideo propter talem abdicationem ſeu renunciationem, que nulla eſt, ordo ipſe ſiue collegium eorum non poteſt dici pauperior alijs ordinibus, ſeu collegijs quorumcunque religioſorum.* Solide, ut totus Dialogus; colloquitur enim Autor cum quodam *Fratre F.* ad quod Nomen manu coaeva notatur in margine: *Sciendum quod per F. quidam frater philippus nomine intelligitur iſtius hereſis defenſor precipuus, et per P. quidam ordinis predicatorum, qui contra dictum philippum et ſuos hunc tractatum edidit.* Sed *Philippum* hunc nec *Waddingus*, nec *Fabricius* nobis produnt.

IV. *fol.* 124. usque ad finem Codicis habentur 1) Commentaria imperfecta in *Librum IV. Sententiar.* 2) Quaeſtio: *Vtrum ratione naturali poſſit demonſtrari, quod beatitudo intellectus humani ſit clara viſio Dei?* 3) Aliae II. Quaeſtiones de Anima, quarum prior ἀκέφαλος, altera: *An anima ſeparata poſſit adquirere cognitionem alicuius prius ignoti?* 4) *Tabula quarti libri Scoti doctoris ſubtilis;* quae proinde ad Codicis pertinet principium.

CCCCXCV.

Codex membraneus lat. Sec. XIII. exeunt. Folior. 232. f. per duas columnas charactere nitido, atro perſcriptus, rubricis enotatus, quondam, ut praefert Theca, M. *Petri de Pulka*, dein a M. *Thoma de Haſelbach* Collegio Ducali *Wienne* legatus continet D. *Thomae Aqu.* Commentaria, U. 300

five